DISPVTATIO IVRIDICA,

De

IVRISPRVDENTIAE NATVRA, PRINCIPIIS AC CONSTITVTIONE.

Ad tit. 1. & 2. lib. 1. Inst. Imp.

QVAM

Fauente diuini numinis gratia

SVB PRAESIDIO

Clarißimi & consultißimi viri,

DN. IOHANNIS WISSELII, I.V.D.

& in inclyta Iulia Professoris publici, ac prouincialis ducum Brunouicensium dicasterij assessoris, Præceptoris sui plurimum honorandi,

Publicè

pro virili defendet

IOHANNES Schwartzkopff Bocnemensis.

Ad diem   Octobr.

In nouo Iuléo maiori

HELMAESTADI,

Typis heredum IACOBI LVCI,

cIↃ IↃC XIX



Amplissimo, Clarissimo ac consultissimo viro,

DN. VVILHELMO BOKELIO,
I. V. D. Illmo ac Potent^mo Brunouicensium Duci à consilijs intimis


NEC NON

Amplissimo, prudentiâ variarumq; rerum experientiâ grauissimo viro,

DN. PHILIPPO Knochenhawer/
ejusdem Ill^mi Ducis archimandritæ quondam in arce Woldenberg fidelissimo.

Dnn. patronis ac euergetis summopere suspiciendis.

Exercitium hoc academicum
cum deuota sui commendatione
inscribit & offert
Iohannes Schwartzkoff Bocnemensis
Aut. & Respondens.



De natura, principijs, ac constitutione Iurisprudentiæ.

Thesis I.

Omnium rerum communione, primæuis mundi temporibus, cunctis iurgijs & litibus facilè præripiebatur occasio, vbi vero subsequente ætate pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atq; superbia, (verba sunt Salustij) inuasêre, tum demum regna condi, dominia distingui, agris termini poni, ædificia collocari, commerciaq; introduci, ceperunt.

II. Quæ omnia, etiamsi ab initio se satis rectè habebant, vtpote, cum, teste Iustino, reges spectata tantum inter bonos moderatio ad tantum fastigium euehebat, quorumq; arbitria populo pro legibus erant, attamen cum & illi, affectibus nimium indulgentes, optimorum principum nomine, ea sæpe perpetrabant, quæ tyrannici imperij argumentum haud obscurum præbere poterant; huic rei aliud remedium adhiberi non posse videbatur, quàm si certa quædam ipsis præscriberetur regula ac norma, secundum quam regimen suum dirigerent.

III. Leges dico, quæ non modo ciuibus *προστακτικοὶ τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικοὶ δὲ οὐ ποιητέων, l. 2. de LL.*, sed etiam subditorum tam vitam quam bona contra tyrannorum libidines & impetum muniunt. Quæ cum pro actionum humanarum (circa quas versantur) varietate & mutatione omnia comprehendere non poterant, ideoq; extensionem & re-

strictionem, id est, interpretationem interdum desiderarent, necessaria fuit aliqua disciplina, quæ habitum illum interpretandi leges traderet. Atq; hæc nobis est Iurisprudentia.

IV. De huius natura, constitutione, ac principijs breuiter impræsentiarum agere animus. Quod vt recte expediamus, rem altius ab ipsis naturæ principijs ordiri placet.

De genere jurisprudentiæ.

V. Eam itaq; non *substantijs*, sed *accidentibus*, atq; ex ijs quidem *qualitati* annumerandam, nemo est qui neget, tum quod enti in actu existenti superueniat, cum quod eâ præditi, singularem qualitatis denominationem participent. Ex qualitatis autem speciebus nulla alia hanc sibi vendicat, quam ea, que crebris in homine comparatur actionibus, quam *habitum* vocare solent; cumq; non corpus, neq; in animo appetitum perficiat, facilè liquet, neq; corporis, neq; moralibus habitibus eam annumerandam.

VI. Ex *intellectualibus* porro nec *speculatiuos* admitti posse, in procliui esse arbitramur, quicquid etiam de *scientia* reclamet Petrus Gilkenius. *Practici* g. habitus, ad quos referenda est hæc nostra disciplina, in duplici sunt differentia, aut enim vel *praxin* seu *actionem*, aut ποίησιν siue *effectionem* sibi propositam habent; prior *prudentia*, quæ cum recta ratione agit; posterior *ars*, quæ cum rectâ ratione efficit; dicitur.

VII. *Effectionem* Iurisprudentia sibi propositam non habet, cum opus externum post se non relinquat, neq; (quæ arti rectè attribuuntur) mutet, addat, adimatue materiæ, in quâ versatur; sed *actionem*, quia in operatione ICti, honesti & inhonesti discrimen & vis elucet. Relinquitur ergo *prudentiam* disciplinæ huic competere, cum intellectum actiuum perficiat: ideoq; perperam *artem* ei pro genere legitimo obtrudi, nisi fortè impropriè illud fiat, vt in *l. 1. pr. de Iust. & iure.*

& tale à Celso id fit, in ea videlicet significatione, quâ ipse Philosophus artes liberales dixit.

IIX. *Prudentia* porro, aut ea quæ priuato tantum homini bona malaue, vtilia vel inutilia sunt, commonstrat, diciturq; *absoluta*, vel, si mauis, priuata: aut amplius etiam in societatibus spectatur, & ad alios plures refertur, quæ hinc σχετικὴ id est relata, etiam *communis* seu publica appellari consueuit. Societas autem illa, cujus bono inseruit communis illa prudentia, aut est paucorum in familijs, quam informans dicitur οἰκονομική: aut est multorum in ciuitatibus & Repub. cuius caussa familiæ constitutæ sunt; hanc instruens, *ciuilis* prudentia nuncupatur.

IX. Posterior hæc vel vniuersalem Reip. curam gerit, legibus illi prospiciendo, & vocatur νομοθετικὴ seu *legislatoria*: vel in particularium rerum administratione occupata est, atq; tum vel futurorum, vtpote de ijs deliberando, quæ βουλευτικὴ seu senatoria dicitur: vel præteritorum eas videlicet judicando, quid in ijs justum vel injustum sit, & appellatur *iudicialis* seu δικαστική, atq; ad hanc posteriorem disciplinam nostram referendam esse nemo non videt.

X. Valde igitur errant illi, qui eam cum legislatoria confundunt: licet enim ICtus etiam vniuersæ Reip. salutem sibi pro fine æquè ac legislator propositam habeat, id tamen fit secundariò, principaliter enim circa actiones particulares versatur. Argumentum hujus rei satis firmum suppeditat nobis & illud, quod legislator rationem omnium legum veram & immediatam nouit, ICtus autem probabilem saltem & conjecturis verisimilibus constantem, vnde & illud est, quod *l. 20. & 21. de LL.* habetur, omnium rationem à ICto reddi non posse. Hinc non ineleganter quidam legislatorem scientificum & intelligentem, ICtum autem πεπαιδευμένον seu peritum artificem vocant. *Ehem. 2. princ. iuris c. 4.*

 II. E-

XI. Elegans quoq; hac de re habetur locus apud Platonem *6. de Ll.* vbi inter legislatorem & ICtum comparationem instituit, his verbis: Si quis pulcherrimum animal pingere voluerit, quod non ad pejus, sed ad melius futuro semper tempore progrediatur, nonne vides, cum pictor mortalis sit, nisi aliquem artis successorem reliquerit, qui, si quid vel tempore ex animali abolitum fuerit, instaurare, vel per imbecillitatem artis ab artifice prætermissum, adijcere possit, atq; ita fulgentius indies animal reddere, laboriosum istud animal pauco tempore duraturum? An non par legislatoris voluntas tibi hæc esse videtur; Principio quidem, vt leges sibi sufficienter & exquisitè pro viribus conscribantur, deinde procedente tempore & periculo rerum facto putasne sic amentem legislatorem aliquem esse, vt ignoret, necessarium esse talia multa sibi relinqui, quæ emendatione successoris alicujus indigeant, ne peior quidem, sed melior Resp. euadat.

De differentia specifica.

XII. Inuento genere attendendum erit ad differentiam specificam, quæ à Celso *in d. l. 1.* notatur vocibus *boni & æqui*, quæ conjunctim hic sumtæ, vt & sumi debēt, nihil aliud notant, quàm ipsam *ἐπιείκειαν*, seu humaniorem juris interpretationem & moderationem. Plenior est definitio Vlpiani in *l. 10. ff. hic.* vbi subjectum affert, dum eam *diuinarum atq; humanarum rerum notitiam* vocat, id est, versari eam circa omnia negotia hominum, siue illa sint de rebus diuinis siue humanis, quatenus nim. in illis, quid iustum, quid injustum sit, quæritur. Exempla de rebus diuinis extant *§. 8. & §. 9. inf. de rer. diuis.*

De methodo in Iurisprudentia obseruanda.

XIII. Patet ex his, quæ dicta sunt, Iurisprudentiam non esse disciplinam contemplatiuam, sed practicam, ideoq; methodo non syntheticâ, vt speculatiuarum propriâ; sed analyticâ eam tradendam esse. Practicæ enim disciplinæ,

quia

quia finem habent in agere, finis autem, est actionis principium; extraq; deliberationem positus, ideo à fine progrediuntur ad media, per quæ obtineri finis, subjectoq; introduci possit.

XIV. 1. Tria ergo in Iurisprudentiæ nostræ methodicâ constitutione obseruanda erunt: *Finis, subiectum & media.* De quibus paucis dispiciendum. Finis Iurisprudentiæ est ipsa justitia, seu potius exercere justitiam vel suum cuiq; tribuere. Est autem Iusticia duplex: *vniuersalis* quæ comitatur actus omnium virtutum, ideoq; omnes eas in se continere dicitur: *Particularis*, quæ est virtus, quâ suum cuiq; tribuimus, seu de externis bonis aut malis, non magis aut minus nobis tribuimus, quam jure nobis debetur. De Fine Iuris.

XV. Quænam autem ex his Iurisprudentiæ pro fine assignari possit, non est ita expeditum. Ad leges humanas earumq; interpretationem quod attinet, negari non potest, cum finis legislatoris sit perfectio totius ciuitatis, hæc autem citra cumulum omnium virtutum, id est, vniuersali hac justitia consistere non possit, consequens erit, vt quousq; se extendit munus leges constituentis, eousq; etiam pertineat munus easdem interpretantis.

XVI. Si autem de legibus nostris Romanis in libris juris nostri comprehensis quæratur, vix est, vt diffiteri possimus, istas solam particularem justitiam pro fine sibi propositam habere; quæ enim ad reliquas virtutes spectant, aut nulla aut admodum pauca in ijs reperiuntur. Velle idipsum videtur etiam ipsa justitiæ definitio, *pr. h. t. & l. 10. ff. eod.* quâ definitur constans & perpetua voluntas suum cuiq; tribuendi, quod solius particularis justitiæ est proprium.

XVII. Dicitur constans & perpetua, (vt hoc hic annotemus) Ad perfectionem enim cujuscunq; virtutis tria necessariò requiruntur, 1. Præcognitio actionis, vt videlicet

delicet is, qui agit, sciens agat. 2. Libera voluntatis electio seu *προαίρησις*. 3. Vt *βεβαίως* ac *ἀμετακινήτως*, firmiter ac constanti animo agat. Vt ideo valde ridiculi sint illi, qui hic Iustitiam non humanam sed diuinam definiri arbitrantur, propterea quod talis in hominem non cadat. Quod cum dicunt, non vident illo ipso se adseuerare, nullam in hominem cadere virtutem moralem. Neq; etiam hic in abstracto sed concreto eam definiri arbitramur.

Iustitia cõmutatiua. XIIX. Facilè hinc liquet, cum illa, quam diximus, sit Iurisprudentiæ finis, cur tria hic *§.3. & ab Vlp. in l.10. §.1.ff. hic* numerentur juris præcepta. Versatur enim illa justitia vel circa *contractus*, quatenus videlicet illos ita dirigit, vt absq; vllo personarum respectu, secundum proportionem arithmeticam rei tantum qualitatem intueatur. Huc spectat secundum præceptum: *alterum* non lædere, vt nim. in contractibus æqualitas obseruetur.

Distributiua. XIX. Vel in distribuendis præmijs aut pœnis occupata est, ne inæqualibus æqualia, aut æqualibus inæqualia tribuantur, qua in re proportionem geometricam obseruat, vnde exoritur tertium præceptum, *suum videlicet cuiq; tribuere*, quod arctius hic accipitur quam in definitione justitiæ, vt rectè monet Mynsl. *ad §.3.h.t.n.5. in fin.* Duorum horum præceptorum fundamentum est prius: *Honestè* viuere; eaq; ratione pertinet huc, vt quid justè fiat.

De subjecto juris. XX. Et hæc de fine juris hactenus. Subjectum, in quod finem introducere satagit ICtus, supra nominatum est, diuinæ videlicet & humanæ res, seu si mauis, actiones hominum ciuiles. Illud saltem hic adijciendum, in omni subjecto vniuscujusq; disciplinæ duo esse: rem consideratam seu Materiale; & modum considerandi seu formale. Res considerata potest esse communis pluribus disciplinis, sicuti

metaphysicæ & Logicæ est Ens, neq; his tantum, sed & omnibus realibus disciplinis, si non vniuersaliter, tamen particulariter: modus v. considerandi, illud ad vnam certamq; disciplinam adstringit.

XXI. Modus ideoq; considerandi additur à ICto in *l.10.h.illis verbis: Iusti atq; iniusti scientia.* Eatenus enim ICtus circa illas res tantùm est occupatus, quatenus in ijs justum vel injustum cerni potest. Latius ICti subjectum suum non introspiciunt, cum tali tantum ejus cognitione contenti viuant, quali ad introducendum finem opus est.

XXII. *Media* porro, quibus iste finis obtinetur, duo sese offerunt, *cognitio eius quod cuiusq; est*; & *eiusdem obtinendi ratio.* Quod fortè indicare voluerunt Azo & Bart. in proœm. Inst. dum dicunt; ICtum versari circa duo vitia: *errorem* & *contumaciam*: errorem tollit, dum docet, quid cujusq; sit: contumaciam, dum monstrat legitima media, actiones videlicet, quæ etiam inuitos cogere possunt, vt id, quod nostrum est, nobis restituant. De medijs.

XXIII. Prius medium explicando, docet, quid cujusque sit, tum ratione *personarum*, tum ratione *rerum.* Debetur autem personis ratione status ipsarum, qui triplex: *Libertatis, ciuitatis, & familiæ.* *Res* nostræ sunt duplici ratione: 1. Ratione *iuris* quod habemus *in ijs*, quod appellatur *dominium*, cujus varios acquirendi modos ostendit. 2. Ratione juris quod habemus *ad eas*, vt in *obligationibus*, quarum varias species edocet. 1. medium.

XXIV. Quod si vnum horum adsit, tum demum subministrat alterum medium: *Cogniti nostri obtinendi* 2. Medium.

ratio-

tationem, *actiones* nimirum? Non enim sufficit nosse, hoc vel illud ab alio nobis deberi, nisi quoq; sciamus: quâ viâ, quâq; legitimâ ac accommodatâ actione illud consequi possimus, cum non tantum ille spe suâ frustretur, qui illud, quod petit, jure ad se pertinere probare non potest, sed etiam ille, qui id, quod sibi debetur, aliâ, quam debebat, actione prosequitur.

XXV. Atq; idem voluit ICtus *in l. 1. de stat. hom.* dum ait: omne jus vel ad personas pertinere, vel ad res, vel ad actiones, vt latè diducit Christoph. Ehem. *de princ. iur. lib. 4. c. 6.*

De principijs juris. XXVI. Inuestigatâ hoc pacto naturâ & ordine hujus disciplinæ, consequens erit, vestigia Imp. sequendo, fontes ex quibus Iurisprudentia media ac præcepta sua hausit, atq; in Rempub. Romanam introduxit, accuratius inuestigare. Quod commodius fieri haud posse videtur, quam si Philosophum hac in parte imitemur. Ita enim & felicius procedere, meliusq; mentem Imperatoris nostri percipere poterimus.

XXVII. Is itaq; *5. Eth. c. 7.* jus facit duplex: aliud *naturæ*, aliud *legitimum*. *Naturæ* vocat illud, quod vbiq; eandem vim habet. *Cic. 3. de Rep.* dicit illud diffusum in omnes constantes, & sempiternum, à quo homines neq; per senatum neq; per populum possunt liberari. Sicuti autem hi illud ab effectu, ita Imp. noster illud ab efficiente ita definit: *quod natura omnes docuit.* Per naturam autem nemo nisi ipse naturæ creator hic intelligitur, quod & *Cic. 3. de Ll.* testatur, vnus, inquit, est communis quasi magister & imperator omnium Deus, ille est legis hujus inuentor, disceptator, lator.

XXVIII. Atque hinc est, quod dicatur nullis muta-

tatio-

tationibus obnoxium. Vbi tamen diligenter notandum; in vniuerso genere consideratum, non mutari, sed tantum in quibusdam casibus singularibus & circumstantijs E.g. filios debere obœdire parentibus, naturæ est præscriptum, quod tamen in eo casu, si pater jubeat filium abnegare veritatem, prodere patriam &c. procedere, nemo est, qui dicere ausit. Deinde si fortè concurrat alia lex naturalis superior, illa alteram vt inferiorem cessare jubet. E. g. nemo debet locupletari cum alterius damno: vincitur ab hac: Societas humana est tuenda. Cujus exemplum manifestum vsucapio nobis exhibet.

XXIX. *Natura* autem in homine dupliciter consideratur, 1. Vt ei inest, quatenus est *animal*. 2. Quatenus ei vt *homini* inest. Quod prioris instinctu facit, ICti vocant *ius naturale*, quod natura omnia animalia docuit, non quod etiam in bestias cadat jus, sed quia instinctus illi naturales, qui principia hujus juris dicuntur, etiam in bestijs reperiantur, & quæ bestiæ faciunt ista naturali incitatione, ea si homines ex vi illâ innatâ cum ratione faciant, jure naturali faciant, & sint juris naturalis. Ius naturale.

XXX. Liquet inde, cum subjectum nostrum sint actiones ciuiles; eas actiones naturales, quæ nobis cum brutis sunt communes, vt: dormire, edere, bibere &c. non posse ideo dici juris naturalis, vtpote quæ naturæ necessitate homini obueniunt, non vero jure & ratione, & vt illa justa ac injusta appellari possint. Vt ideo nihil obstet argumentum Vultej *h. n. 3.*

XXXI. Altero modo considerata natura, producit *ius gentium*, quod consequitur propriam inclina- Ius gentium.

 tio-

tionem naturæ humanæ, in quantum sc. homo est animal rationale. Principia porro hujus juris, aut cum homine statim nascuntur, & sine vlla antecedente institutione intelliguntur, & vocantur *ius gentium primæuum* quo pertinet religio erga Deum, obœdientia patriæ & parentibus debita. *l. 2. ff. de I. & I.*

Primæuū.

Secundarium.

XXXII. Aut exigentibus tandem humanis necessitatibus per discursum ex primis illis deducta sunt, & dicuntur *ius gentium secundarium*, quod genus humanum, necessitate ita efflagitante, societatis suæ tuendæ gratia, per ratiocinationem, etiam quandoque contra primæuam rationem constituit. Vnde ortæ dominiorum distinctiones, bella, captiuitates, seruitutes manumissiones.

XXXIII. Quod autem de seruitute diximus, hoc intellectum volumus de tali, quâ quis contra naturam dominio alterius (interdum etiam vilioris ac sordidioris) subijcitur, *§. 2. Inst. de Iur. pers. l. 5. de stat. hom.* non autem de illa, quando videlicet natura generauit hominem adeo rationis impotentem, vt sibiipsi de victu prospicere non possit, quæ non ex jure gentium, vt prior, sed naturæ, originem habet, de quâ Aristoteles *1. polit. c. 1. & 3.* Videatur Clariss. Dn. Arnisæus, *in polit. prior. edit. lib. 1. c. 4. & de Repub. c. 3. sect. 3. per tot.* vbi hanc rem plenissimè explicat.

Ius ciuile.

XXXIV. Pergamus jam ad alterum membrum diuisionis Aristotelicæ, quod ille *ius legitimum* vocat, nostris est *ius ciuile*; & definitur, quod quisq; populus sibiipsi, propriæ vtilitatis caussa constituit. Aristoteles d. loc. illud vocat, quod ab initio, vtrum hoc vel alio modo fiat, nihil refert, vbi verò fuerit constitutum, tum demum refert.

35. Os

XXXV. Oritur hoc, secundum ICtum *in l. 6. h. t.* ex iure naturæ per modum determinationis, id est, quemadmodum in scientijs ex principijs notioribus, deducuntur conclusiones cuiuis non ita obuiæ: ita in hac nostra practica disciplina, ex principijs naturâ notis (de quibus antea dictum) deducuntur quædam velut conclusiones à legislatore, quæ nobis sunt jura legitima & ciuilia.

XXXVI. Atq; hinc est, quod sit mutabile. Cum enim jus naturæ præcipuè spectet honestatem, hoc autem præter honestatem etiam æstimetur ex vtilitate eorum quibus præscribitur, ideoq; pro ratione temporum, personarum, locorum, aliarumq; circumstantiarum, vtilitatem aut impedientium aut promouentium, mutatur. Exemplo esse possunt diuersæ Reip. formæ, quibus secundum Aristot. *4. pol. 1.* leges & jura sunt accommodanda. Eædem enim non prosunt leges aristocratiæ, quæ fortassis democratiæ vel monarchiæ.

XXXVII. Ex his itaq; fontibus limpidissimis promanauit non tantum *ius priuatum*, quod ad singulorum vtilitatem principaliter spectat, *sed etiam publicum*, quod ad statum rei Romanæ pertinet, & in sacris, sacerdotibus & magistratibus consistere dicitur, *§. 4. h. t. Vult. ibid. n. 2. Gœdd. ad l. 6. n. 11. de V. S.*

XXXIIX. Deriuatum autem est ex illis fontibus *consensu* eorum, qui ejus rei habebant potestatem. Declaratus vero iste consensus est vel *Suffragio seu expressâ sanctione*, vel *tacitâ conniuentiâ, seu rebus & factis ipsis*. Diuisio juris in scriptum & non scriptum.

XXXIX. Cum autem illud, quod expresso consensu constituitur, antiquitus rescribi diceretur, ideo

ius scriptum vocari cepit, illiq; oppositum *ius non scriptum.* Vt valde hic errent illi, qui ad essentiam legis scripturam requirunt. Distinguenda enim hic sunt omninò ipsa promulgatio, & modus promulgandi, qui vt olim varius erat, ita & nunc, siue fiat per scripturam, per vocem præconis, sacerdotis &c. qui modi omnes ad jus scriptum se habent, tanquam caussa sine qua non, adeoq; de ipsius essentia planè non sunt.

XL. Accedit & hoc, quod tanquam accidens abesse possit à subiecto, præter ipsius corruptionem. Lacedæmoniorum enim jura, non ideo desinebant esse jus scriptum, quod scripturâ non essent comprehensa, *§. 10. h.* nec consuetudines feudales ideo factæ sunt jus scriptum, quod jam scriptæ circumferantur.

Species juris scripti.

XLI. Scriptum illud jus *aut liberrimus consensus* fecit, vt sunt: Lex, plebiscitum, *aut necessitas constituit*, vt sunt: SCtum, Rescriptum principis, magistratuum edicta, & responsa pudentum. *§. 3. h. t. l. 40. ff. de Legib.*

Lex.

XLII. *Legis* vocabulum tripliciter sumitur, 1. pro omni jure scripto vel non scripto, *l. 1. & 2. de LL.* 2. pro juris scripti speciebus omnib⁹, quo sensu multa plebiscita vocantur leges, vt lex Aquilia, lex Falcidia. 3. Pro specie juris scripti, quam populus senatorio magistratu interrogante constituebat, quæ acceptio hujus est loci, *§. 4. h. t.*

XLIII. Interrogationem istam præcedebat promulgatio, quæ fiebat, cum scripta per trinundinum pro rostris exhibebatur, vt cuiuis copia inspiciendi, spaciumq; deliberandi esset. Elapso trinundino populus conuocabatur, interrogabatur, formulâ vt plurimum hac, *Velitis iubeatis Quirites &c.* atq; tum collectis suf-

fragijs

fragijs pro illorum numero, aut antiquabatur, vt illi vocabant, aut confirmabatur, de quibus latè vide *Rosin. c. 2. antiq. Rom. Barnab. Brisson. de form. lib. 2.*

XLIV. Secessiones plebis à patribus caussam dederunt *Plebiscitis*. Cum enim plebs, 1. ob iniuriam fœneratorum, *A. V. 260. vide histor. iuris Först. lib. 1. c. 19. & seq.* 2. ob crudele Appij Claudij Xuiri factum *A. V. 305. Först. d. tr. c. 23.* à patribus secessisset, nec prius captis armis libertatem tueri destitisset, quam à Coss. L. Valerio & M. Horatio lex lata esset, vt quod plebs tributim iussisset, populum teneret *Liu. lib. 3. Forst. d. c. 23. n. 9.* quæ postea in tertia secessione à M. Hortensio Dictatore repetita & confirmata est. *Gell. lib. 15. c. 27.* plebiscita per legem illam Horatiam seu Hortensiam non minus quam leges valere ceperunt. Plebiscitũ.

XLV. Postea cum totus populus præ multitudine ad ferendas leges facilè conuenire non posset, necessitas ipsa curam Reip. ad senatum deduxit, itaq; euenit, vt quod senatus statuisset, legis haberet vigorem, idq; appellatur *Senatusconsultum, Conn. 1. comm. 12. Coras. ad l. 2. de O. I.* Senatus consultum

XLVI. Cum tandem per partes euenisset, vt necessitas Reip. vnius tantum imperium efflagitare videretur, lege Regiâ populus principi omnem potestatem, etiam in ipsum populum, dedit, vt quod ipsi placeret, legis haberet vigorem, *§. 6. h. l. 2. §. 11. de O. I. l. 1. de const. princ.* si modo animo condendæ legis, *nov. Leon. 92.* nec diuino, vel naturali juri repugnet. Rescripta principũ.

XLVII. Patet hinc, quibus legibus princeps solutus dicatur; ijs enim, quæ ipse mutare non potest, procul dubio subjectus erit, cæteris vero minimè, sed in totum solutus est, *l. 31. ff. de Ll.* Remiserunt tamen

pro

pro pietate sua ob publicam honestatem aliquid de jure suo, & istis, quibus exempti erant, legibus, sponte sua se submiserunt, *l. digna vox, C. de Legib. §. fin. Inst. quib. mod. test. inf.* Vide elegantissimè de hac controversia differentem *Clariss. Arnis. de iure maiest. lib. 1. c. 3. n. 6. & seqq.*

Prætorum edicta.

XLIIX. Res ipsa quoq; voluit, ut magistratus iura reddentes, ad hoc ut scirent cives, quod jus, de qua re, quisq; dicturus esset, edicta proponerent, quæ edicta *ius honorarium* constituerunt, *§. 7. h. t. l. 2. §. 10. de Orig. iur.* Erant autem edicta non tantùm desumta ex jure civili, sed illud ipsum interdum per talia edicta adjuvabatur, supplebatur, corrigebatur, *l. 7. §. 1. de Iust. & iure*, quod cum videret populus in publicam vergere utilitatem, probabat tacito consensu, cum alias potuisset cogere prætores, ex jure civili scripto jus dicere.

Responsa prudentũ.

XLIX. Quia etiam constare non potest jus, nisi sit aliquis jurisperitus, per quem quotidie in melius producatur, *l. 2. §. 13. de O. I.* ideo semper inventi sunt, qui hac in parte Reip. operam navarent. Et liberâ quidem adhuc Rep. Romanâ, interpretationes hæ ICtorum pars fuerunt juris non scripti, *d. l. 2. §. 5. de O. I.* occupata autem Rep. cum necessum esset respondendi facultatem à principe impetrare, juris scripti speciem constituere ceperunt, *§. 8. h. t.*

Ius non scriptum.

L. Pergamus ad *ius non scriptum*, quod tacito populi consensu introducitur, & vocatur consuetudo. Nomen consuetudinis trifariam accipitur. 1. pro assuefactione hominis, *l. 50. §. fin. de legat. 1.* 2. pro facto plurium personarum, & tunc vocatur usus seu mos. 3. pro jure quod resultat ex tali usu, quæ acceptio hujus est loci.

LI. Sicut autem jus scriptum unicum tantùm habet substan-

ſubſtantiale, conſenſum nimirum expreſſum, ita etiam conſuetudinem conſenſus tacitus, tanquam vnicum ſubſtantiale, conſtituit.

LII. Cæterum de requiſitis illis, quas vulgò Dd. quatuor faciunt 1. Rationabilitatem. 2. Actuum frequentiam. 3. Tacitum populi conſenſum. 4. Legitimam præſcriptionem: breuiter etiam videndum. Primum quod attinet, illud non ſolum eſt conſuetudinis, ſed vniuerſi iuris, adeoq; perperam ei, quâ tali, attribuitur. Actuum frequentia, temporiſq; diuturnitas ad probandam ſolùm conſuetudinem neceſſaria ſunt.

LIII. Vim & effectum legis habet conſuetudo, *§. 9. h. l. 32. pr. de LL.* cum & legem interpretari, *l. 37. 38. de LL.* eamq; abrogare poſſit, *l. 11. h. l. 32. §. 1. eod.* ſi modo ſit iuſta, nec pugnet cum ratione, *l. 2. C. quæ ſit long. conſ.* licet etiam irrationabilis conſuetudinis non ſit vilis autoritas in excuſationibus à pœnis; exemplum eſt *in nou. 139. & nou. 154. vbi vide. Rittersh. in nov. p. 4. c. 2. num. 38.*

LIV. *Statuta* quia legibus annumerantur, ideo etiam de his coronidis loco paucis agere placet. *Sunt igitur ſtatuta ius quoddam, certæ ciuitati vel municipio, vel certæ communioni aut vniuerſitati in vim legis conſtitutum.* Cui⁹ iuris introducendi neceſſitatem inde manâſſe videmus, quod cum nihil locorum circumſtantijs ſit inæqualius, ius commune vbique ſeruari non poſſit. De ſtatutis.

LV. Condit autem ſtatuta quilibet magiſtratus municipalis, *tot. t. ff. & C. de decur. t. ff. de decret. ab ord. fac.* hodie quilibet magiſtratus in ſuo territorio, *arg. l. 1. quod quiſq; iuris in al.* Atque id *ſine conſenſu ſuperioris*, ſi ſtatuens ſit immediatè Imp. ſubiectus, & iura territorij habeat. Quæ ſi deſunt, *cum approbatione ſuperioris* fieri debent: ſine hac enim nihil poſſunt, *VVeſembec. par. de LL. num. 3.* etiamſi ſuperio-

perioris interesse non subsit (vt voluisse videtur *Treutl. p. 1. d. 1. th. vlt. lit. B.)* quodque vsu ita seruari, testantur *VVes. d. l. Schneid. ad §. constat. n. 14, I. de I. N. G. & C.*

LVI. *Collegia tamen & communiones* ratione suæ professionis aut negotiationis, quoad ea, quæ illuc pertinent, etiam sine consensu superioris rectè statuunt, *l. fin. C. de Iurisd.* atq; secundum ea apud tribunos suæ professionis, (cui iurisdictionem in se concedere possunt, *d. l. fin.)* etiam ab alio, rectè conueniuntur, *d. l. fin. ibid. Sichard. C. de iurisdict.* Hodierna vero consuetudine receptum, daß die Innungen vnd Zünfften von der Obrigkeit confirmirt werden.

LVII. Illud non parum controuertitur, *an pœnam statutis suis adijcere possint?* Quod vtiq; affirmandum videtur, quia iurisdictione carentes, eo ipso quo potestatem aliquam statuendi habent, simul & id habent, vt in pœnam certam compromittere possint, non quidem verè talem, sed vt quamuis pœnam conuentionalem aliam, *vt in §. vlt. I. l. 38. §. 15. l. 44. §. 5. l. 68. l. 85. §. pen. l. 88. §. pen. l. 105. l. 134. & passim ff. de verb. oblig.* Quo pertinent & leges earumq; pœnæ, quas in Academijs priuatorum exercitiorum promouendorum causa discentes sibiipsis constituunt;

LIIX. *Res & negotia*, de quibus statuta feruntur, varia sunt. Atq; in ijs quidem, de quibus iure diuino, naturali vel gentium cautum est, idem potest statutum, quod lex. Legem quoq; ciuilem in totum tollere potest, *Dd. in rubr. de decr. ab ord. fac.* nisi lex prohibeat, se à contraria vel consuetudine vel statuto tolli, *vt in auth. nauigia. C. de furtis. vide Gail. 1. obs. 18.*

LIX. Debent autem istæ res, de quibus statuta feruntur, omnino tales esse, vt ad statuentes pertineant. Cui consequens est, statuta ad res extra territorium eiꝰ sitas non extendi, in his enim nulla est ei attributa facultas, ideoq; nullius firmitatis est. *c. 10. de const.*

60. Sic

LX. Sic ſtatutum quod diſponit, vt coniux ſuccedat coniugi excluſis conſanguineis, in bonis extra territorium ſitis non valet, ſed ad ea ſecundum commune ius admittuntur proximi cognati, *Gail. 2. obſ. 124.*


LXI. *Forma* pro varietate conſtituentium varia eſt. *Magiſtratus* enim ſuo ſenſu ſtatuit. *l. 7. C. de LL. Populus* vero fert ſtatutum per ordinem ſeu conſilium, quod populi vicem repræſentat, *l. 2. ff. de decret. ab ord. fac.* cui conuocato, noua lex proponitur, quam expreſſo conſenſu confirmare debet, *l. 2. C. de decurion. vide Clariſſ. Dn. Præcept. Stuck. ad l. 9. de I. & I.*

LXII. Habent & hanc formam cum omni iure communem, vt ſint rationi conſentanea, nec contineant captioſa, iniqua, & contra bonos mores, *l. 4. ff. de decret. ab ord. faciand. Sich. ad l. vn. C. de monopol. num. 8.* Hinc collegiorum mechanicorum ſtatuta non valent, quæ volunt, vt quod vnus inceperit, alter non perficiat, *d. l. vn. C. de monop. Treutl. d. diſp. 1. th. vlt. lit. A.*

LXIII. *Effectus* ſtatutorum eſt, vt liget ciues loci, ſicuti alias lex vniuerſos, vnde & legibus annumeratur, *cap. 1. 2. de conſtit. in 6.* Exteros autem non obligat, niſi ratione rerum, delicti, *l. 9. de extraord. crim.* contractus *l. 6. de euiction.* Qui autem in loco ſtatuti contrahit, vel quaſi, ille tam quoad contractum, quam eius ſolennitates à ſtatuto requiſitas obligatur. Sic qui in loco quodam teſtatur, vbi ſtatutum in teſtamento ſingulares ſolennitates requirit, illas obſeruare tenetur, & tunc teſtamentum vbiuis locorum valet, *Gail. 2. obſ. 123. num. 3. Mynſing. cent. 5. obſ. 20. num. 4.* Perſonas tamen non ſubditas, alias ad actum aliquem inhabiles, habiles reddere non poteſt, proindeq́; filiusfamilias forenſis, vigore ſtatuti, teſtari in eius loco poteſt. *Gail. d. obſ. 124. num. 15. & 16.*

LXIV. *Tempus* quo incipiunt ligare, etiamſi in conſtitutionibus ſint duo menſes poſt inſinuationem, *nou. 66.* ſtatuta tamen ligant *ſcientes* ſtatim, *l. fin. ff. de decret. ab ord. ignorantes* quoque ſtatim, ſi de eorum commodo agatur, ſi autem de incommodo, iudicis arbitrio committitur, an ſupina poſsit dici ſubeſſe ignorantia, *d. l. fin. & c. 2. de conſt. in 6.*

LXV. *De interpretatione statutorum* hoc notandum, eorum verba propriè & strictè esse accipienda, si derogent iuri communi. *Gail. d. obs. 124. num. 7.* Alias enim eadem est ratio interpretandorum statutorum, quæ aliarum legum, vt etiam quam amplissimè, si æquitas admittat, explicentur. *Treutl. p. 1. disp. 1. th. vlt. lit. E.*



COROLLARIA.

I. Filiusfamilias sumptus à patre studiorum gratia subministratos, conferre non tenetur.

II. Naturalis & ciuilis ratio consensum patris in nuptias filij substantialiter requirit. Hunc etiam de iure canonico non tantum honestatis, sed necessitatis caussa adhiberi debere statuimus.

III. Legitimati per subsequens matrimonium, de stricto iure feudali in feudis non succedunt.

IV. Constitutio de pace religionis, & per eam impetrata securitas, non est sublata per concilium Tridentinum, sed in pristino adhuc subsistit vigore.

V. Purgatio sagarum per aquam frigidam minimè ad torturam sufficit.

FINIS.





